

12434.

40.

1680, 17

20

I. N. J.
DISPUTATIO MORALIS,
DE
JURIS NATURALIS
IMMUTABILITATE,

Quam

Indulgente Amplissimo Philosopho-
rum Ordine,

*Publicæ Eruditorum συζητήσει
committent*

PRÆSES
M. JOH. DAVID Schwertner/
Lipf.

& RESPONDENS
JOHANNES Günther/ Gryph. Sil.
Phil. Bacc.

Ad Diem XVIII. August. A. O. R. M. DC. LXXX.

LIPSIÆ,
Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERI.

V I R O

*Pietate, Integritate, atq; Doctrinâ
Præstantissimo*

DN. VVENCESLAO
BUHLIO,

Mercatori apud Lipsienses non
incelebri,


*Hospiti ac Fautori suo longè
honoratissimo*

Hoc quaecunq; studiorum
suorum specimen

*Officiorum suorum promptitudinem
contestandi ergo*

dat dedicat

Respondens.



I. N. J.

THES. I.

DE Immutabilitate Juris N. Bonō cum Deō disputaturis nobis, de ipsō Quæstionis Subjectō præmittere non nulla Animus est. Fiat igitur Initium à Terminorum, quantum opus est, Expositione. Primum Locum occupat Vox Juris, quæ missis reliquis Significationibus benè multis (a) Legem h. l. nobis notat. (b) Per Legem v. intelligimus Regulam quandam, seu Normam (c) ad dirigendas atq̄ve dijudicandas Inferiorum Actiones morales à superiore (d) latam, quæ, quid fieri vel minus debeat obligatoriè præscribit.

II.

Succedit, τὸ Naturale, quod vel effectivè rat. Dependentiæ suæ à Causâ Primâ, quam Naturam Naturantem vocant Philosophi; vel subjectivè ratione Inherentiæ, quod Naturæ naturatæ ejusq̄ve præstantissimæ Speciei Rationali nempè inest, accipitur.

III.

Hinc conjunctim sumptæ voces nobis designant Regulam Actuum Moralium à Deō Creaturæ Rationali in Creatione primùm habitualiter impressam, modòq̄ve ordinariò propagandam, ut qui

A 2

Boni

- a) *Congestas v. ap. Job. Broun. de caus. Dei contra Antisabath. Tom. I. Lib. I. c. 4. p. m. 40. Hahnium in Observ. ad Wesenbec. Tit. de t. & J. Guilielm. Grotium de Principiis J. N. cap. 1. §. 3. aliosq̄.*
b) *V. ita accipientem Honorat. Præcept. nostr. Dn. Alberti. Comp. J. N. P. 1. c. 1. §. 2. aliosq̄, passim.* c) *Vide Osiandrum ad Grotium. Item in Theol. morali. c. 9. §. 4. Dn. Zieglerum in Grotii c. 1. Lib. 1. §. 14. Caramuel. Th. mor. Lib. 1. fol. 2.* d) *Puffendorff. L. 1. de J. N. & G. c. 6. p. 85. Item Zentgraff. de Origine J. N. Art. 1. p. 24.*

boni autem mali sint exindè cognoscat & ad vitandos vel prosequendos eos obligetur.

IV.

Tale Jus an reverà detur, an verò in timidiusculorum solummodò Hominum opinione fundatum sit (e) ex sequenti Definitionis Resolutione simul patebit.

V.

In eà nimirum Locum Generis occupat Vox Regula, quã (verba sunt B. Meisneri) (f) genus vel magis proprium vel accommodatum aliud vix datur. Est enim quiddam commune, quia sumitur Transcendentaliter pro omni eo quod agenda judicat, seu Qualitas sit, seu Constitutio Specialis, &c. Sic etiam non uni tantum sed omni Legi competit. Quapropter eà tam diu utemur, donec alia quæ magis accuratum genus suppeditabit, nobiscum comunicetur. Nec obstat quod figurata appareat, (g) cum Usus ut paulò laxius accipiatur hodiè invaluerit. Regula enim à regendò dicta, quod ad Veritatem rectè ducat, Metaphysicis id valet, à quò debita Rei Rectitudo in Productione pariter ac æstimatione sui dependet, & pro Diversitate Objectorum alia dicitur Perfectionis, Cognitionis alia, alia deniqve Vitæ atqve Morum. Deprehendimus hoc in Scripturâ ipsâ quæ Canon vocatur seu Norma Fidei & Morum, divisa in Legem & Evangelium; Hoc, quod Lex Fidei non incongruè appellatur, Paulo est Regula credendi, quidni Ergò illa, quæ Lex Operum audit, Regula agendi sit? Quid quod Legi oppositum Peccatum Johanni audiat ἀνομία, hoc est, in Difformitate quâdam & Recessu à Regulâ consistat, cujus consequens est, ut id à quò recessit Regula etiam formaliter sit oporteat.

VI.

Consentiunt quoad hoc nobiscum non solum Philosophi veterustioris pariter ac recentioris Ordinis, (h) sed & diversæ Religionis
Theolo-

e) Ita Carneades sensit. De quò vid. Hugo Grotius in Prolegom. Ostander ad h.l. p. 38. utilitate niti putat Hobbes Leviath. p. 2. c. 13. & 26. vide Zieglerum in Grotium. p. 4. & 71. f) Lib. 1. de Lege Quest. 2. p. 22. g) Ostander Thes. 9. ab Grotii c. 1. Lib. 1. p. 157. h) Ostander. Typo Legis Mor. p. 98.

Theologi, Magnus Chemnitius (i) ex Nostris, Meisnerus, (k) Broch-
mund, (l) Hutterus B. M. atqve Dominus Osiander, Carolus Mal-
letus ex Pontificiis (m) & Nicol. Serrarius: (n) Ex Calvinianus,
Musculus, Altingius, Marefius, quorum Testimoniis Pagellas has im-
plere superfedemus, cum ea unà cum longè plurium Autorum di-
ctis legantur apud laudatum Dn. Osiandrum.

VII.

Cùm verò Regularum ingens varietas sit ac multitudo, qua-
lis hic intelligatur, ut pateat, Objectum debitum ipsi ad latus col-
locavimus, quod vocatur à nobis Actus morales. Dupliciter aliàs
Actus qui ab homine procedunt spectantur, vel quatenus ab eò
tanquam à sensitivò atqve segetativò, vel quatenus ab eòdem tan-
quam rationali dependent Principiò. Ab hòc unicè morales, sicut
ab illò Naturales proficiscuntur Actus. Quò ipsò simul innuimus
formale Moralium Actuum, quod videlicet illud partim in Objecti
circa quod versandum, partim in Subjecti agentis Ratione consistat.
Actio enim intelligentis unicè respectum potest habere ad Legem.
Sic v. gr. Cædes Bovis in Homine commissa pro actione morali neu-
tiqvam haberi potest, neqve respectum ad Legem involvere, quæ
propriè loqvendo ipsi non data est; at verò injuria homini ab ho-
mine illata pro Morali meritò æstimatur, cum uterqve ad agen-
dum & patiendum morali modò aptus natus sit. Audiamus hâc de
Re Dn. Puffendorffium; (o) Actiones morales sunt Actiones Homi-
nis voluntariæ cum Imputatione suorum Effectuum in vitâ com-
muni spectatæ. Per Voluntarias verò tales intelligit quæ à Volun-
tate hominis quatenus libera est, ita dependent, ut citra ipsius de-
terminationem, ab actibus ejusdem elicitis, præviâ cognitione In-
tellectus profectam non fierent. Verbo: Omnis Actus liber mora-
lis est, quòve magis autem minus Libertatis eidem inest, eò magis
autem minus Moralitatis seu Valoris ad certum Effectum ponen-
dum æstimabilis habet, similiqve ratione Subjectò agenti quod ejus
consequens est, imputari potest. His Actibus Lex atqve Regula
statuitur unicè, non verò naturalibus quæ ab Hominis Voluntate

A 3

libe-

i) *Locò de Lege. c. 2.* k) *De Lege. Lib. 1. p. 60. 61.* l) *Locò de Lege
c. 5. Sect. 1.* m) *Tomo de Sacramentis Malleatione LVIII. Bra-
ctea X.* n) *Tractato de Legibus Thes. 3.* o) *Lib. 1. c. 5. S. 1.*

liberâ nullatenus proveniunt. Iniquè enim & contra Prudentiam ageret Legislatoꝝ ille, qui impotenti per Naturam poneret Normam, potius, quod Axioma Puffendorffianum (p) vult, de iis Actionibus ab Homine Ratio potest posci, quæ ut fiant vel non fiant penes Ipsum est, & contra id quod neque in se neque in suâ causâ penes aliquem fuit, non potest ipsi velut ex debitò imputari, quod imperitissimi Mortalium ubi super factò autem omisso aliquò accusantur, non efficaciorum se posse excusationem afferre putantes, quàm si dicant, penes se non stetisse, quò minus id factum vel non factum fuerit, suò comprobant Exemplò.

VIII.

Vidimus Objectum, dicendum igitur de modò versandi circa Istud. Consistit ille *ἐν δυνάμει ἀναγκαστικῆ* seu in vi obligandi vel necessitandi, ceu *Becmanus* (a) loquitur. Tria alias legibus *συνονόμεως* talibus officia competere, Moralista tradunt: Unum est directivum, quando quid faciendum autem omittendum sit ostendunt; dijudicativum alterum, quando de Actionibus seu bonis seu malis ad instar lydii lapidis judicant, easque vel sibi convenire, vel secus pronunciant; denique obligatorium, quando Subjectum cui latae sunt ad Actus convenientes instigant atque obligant. Hoc unicum supra nominavimus, cum præcipuum illud sit & reliqua in se comprehendat. (b) Non enim posset Lex obligare nisi antea manifestasset ei, qui parere tenetur, ad quamnam Actionem se deberet accingere. Nam uti absurdum est dicere, inquit *Dn. Puffendorf* (c) hoc fac, si præterea nihil sequatur; ita absurdum est dicere, poenas dabis nî causa, quæ poenam meretur, fuerit significata. Hinc sicuti vis obligandi in Imperante facultas est necessitatem intrinsicam afferendi ad aliquid præstandum; consimili ratione Lex, quæ instrumentum Imperantis nuncupatur (per quod Subjecto parenti voluntas Imperantis innotescit) vinculum hoc necessario habet, quò necessitate alicujus Rei præstandæ adstringat parentem.

IX.

Quò ipsò verò Lex omnis sese segregat à Consiliis, Concessionibus, Permissionibus & Pactis. Quid Consilia sint Nemini non potest

p) *l.c. §. 5. p. 63. fin.* a) *Dissert. Polit. 13. §. 5.* b) *l.c. p. 97. §. 14.*
c) *Becmanus. l. c. Thef. 6.*

potest esse notum, nimirum quod Cicero vult, sunt suppeditatae aliquid faciendi Rationes. Solent ea interdum cum Praeceptis indistincte efferri; quin imò à veteribus Christianorum divina Consilia pro Praeceptis accepta esse docet Vir Summus Grotius. Sed nihil planè eò ipsò nobis praedjudicare potest. Ut enim taceam id quod à Grotio (d) Consiliis divinis accensetur, Consilia nullatenus esse, (e) sed Praecepta, non quidem absolutè talia quod faciles dabimus, sufficit quod sub hypothese Glorìae Divinae in casu nempe scandali praecepta sint. Et positò, esse Consilia tantum, ex Autoritate tamen Summi illius Consulenti in Naturam Praecepti assurgerent. Sic omninò relinquenda potius sunt temporaria bona & postponenda Glorìae immortalis Dei tanquam Doctoris eorum Beneficentissimi. Simile quid statuendum de sequentibus ab ipsò citatis Exemplis, ut sunt Abstinencia à Juramentis. Abstinere enim jussi sunt ne per Idola jurare necesse haberent, quando verò sine conscientiae labe id fieri poterat, omninò jurabant, (f) At verò hoc Grotii unum est quod merito praecedente Dn. Zieglerò (g) Papiisticis Meritorum annumeramus quisquiliis. Sentiant enim Pontificii Consilia divina adhuc supra Praecepta esse, observatu quidem non simpliciter necessaria attamen longè utilissima, quod diu refutavit Magnanimus Noster Chemnitius aliique. Quod si ergò tandem fuissent Consilia, quid inde? emerget ne hæc Conclusio Ergò Leges & Consilia non differunt, quia vel Christiani Veteres, vel aliqui Moralistarum coincidere ea putarunt? Rectius sentimus cum Dn. Puffendorffio, cujus Verba hæc sunt: Accuratè discernenda est Lex ab illis rebus quæ cum eadem aliquam Cognationem habere videntur & ideò à quibusdam cum eâ confunduntur, uti est Consilium & Lex; illud enim ab hæc differt, quod per illud rationibus ex ipsâ re petitis ad suscipiendum quid autem omittendum adducere quis conetur illum, in quem, saltim quoad præsens negotium Potestatem non habet, sic ut nulla obligatio eidem afferatur, sed in Arbitrio ejus relinquatur sequi velit consilium an minus. (h)

X. Con-

d) Lib. 1. c. 1. e) ad Grotium p. 99. f) Vide Osiandrum ad h. l. Observat. 21. item ibid. p. 61. g) Chemnitius de Discrim. Praecept. & Conf. p. 110. h) Puffendorff. l. c. p. 79.

Concessionem quod concernit, eam quidem similiter ab aliquibus ad Jus referuntur. Sic in Scholis Moralistarum (i) sequentes Phrasen in usu sunt, licet J.N. occupare vacua autem derelicta, item, Jus Venandi Imperanti competit &c. Et sunt id quod facultatem Personae confert agendi vel non agendi. Quod etiam Gassendus naturales hominis vires, quamquam non bene, retulit, coactus enim postea fuit in Homine tale Jus N. admittere, quod cum Plantis & Brutis commune habeat. Attamen accuratissimus in his Doctrinis Vir Dn. Alberti longè rectius observavit, solum Jus Præceptivum non concessivum (concessio enim est saltem positiva rati-habitio) obligandi vim habere, ideoque solum etiam nomine Legis proprietatem in genere quam Juris seu Legis naturalis in specie dignum esse.

Simile meritò Judicium ferimus (k) de permissionibus quarum indultu extrinsecè ab impedimentis & poenâ ille exemptus est qui sic vel aliter agere velit. Equidem & hic usu sic ferente dicere solemus; licet hoc facere; sed Sensus non est, quod salvâ Pietate & Officiorum Regulis fieri aliquid possit, seu quod, reddente Max. Rever. Dn. Alberti (l) ullâ facultate, (atque intrinsecè) aut etiam mandatò aliquò talis ad agendum instruat: Sed quod apud omnes homines poenæ non subjaciat. Non enim est legis actio, sed actionis negatio, adeoque Lex permittens neque præcipit neque vetat; quæ verò nec vetantur nec præcipiuntur in cujusvis Arbitriò posita sunt atque nullò determinantur lege, verba sunt Puffendorffii. Putatque Job. Broun, (m) Permissiones non tam ad Naturale quam ad Civile Jus pertinere, ubi quædam sunt non laudabilia naturâ sed Jure concessa. Hinc causam dant ob quam inter homines quædam impunitate gaudeant, quod vel ipsæ Leges positivæ nihil de re definierint, sed cujuscunque pudori & honestati id reliquerint; vel quod forum humanum planè desit, qualis defectus contingit in delictis eorum, qui Majestatem in Republ. obtinent, quò locò supplemen-

i) *Guiliel. Grotius c. 2. §. 8. Gassendus in Phil. Epicuri. p. 1551. D. Alberti Compend. P. 1. c. 1. §. 5.* k) *cum B. Meisnero c. 1. de Lege p. 80. Osiandro p. 166.* l) *l. c. §. 3. p. 22.* m) *l. c. p. 49. Dn. Rachelius Dissert. de J. N. §. 36. p. 31.*

plementi instar est perpetuum illud Jus honestas quæ naturalis. In eâ enim ait *Gisbertus Cockius* (n) omne bonum faciendum vel malum fugiendum continetur, saltem implicite, ut conclusiones in suis Principiis inde per necessariam illationem educendæ. Patet ergo *Gvil. Grotii* (o) sententia Jus Naturale permisivum planè nullum esse.

XII.

De Pactis demùm hoc novimus, ea ante suum esse ab arbitrio compromittentium pendere, qui ipsi prius determinant quid faciendum sit, quàm ad faciendum obligentur adeoque accuratè loquendo formam promissi habent. Quò nomine etiam *Dn. Puffendorffio* veniunt. (p) Si verò dicendum sit in iis aliquid obligationis esse, non nisi ex liberò eorum, qui sese obstrinxerunt, consensu, id omne obtinent. Lex viceversa Mandatum est. In eâ enim non dicitur faciam; quod in paciscendo evenire solet; sed fac, imò cum Potestatem Imperantis jamjam supponat, ante ipsam etiam operum determinationem ad agendum fortiter obliget.

XIII.

Sed quia ea quæ dicta hæctenus sunt ad Legem in communi applicari etiam possunt, adeoque definiti nostri naturam sufficienter nondùm exprimunt, ad specificam nunc progrediendum est differentiam, ut quæ in genere de Actibus Moralibus item de obligatione allata sunt, reliquis huc pertinentibus circumstantiis restringantur, & quæ nobis consideranda est Juris Species in ultimò suo esse debite constituatur. Perita verò illa est à IV. Causis, & I. quidem ab Efficiente.

XIV.

Nihil enim à se ipsò, nisi æternus ille & immutabilis DEUS, qui à se ipsò omnium Entium primum est atque ultimum. (q) Neque ergo J. N. originem sui sibi debet ipsi, sed potius infinito Deo, à quò omnia & per quem omnia. Dubitas? saltem ne dubites de Tui ab eodem in esse, fieri, & operari dependentiâ, & scrupulus facile cadet omnis. Aut forsitan difficulter & hoc admittis; neque enim heri autem nudius tertius tales homines vixisse accepimus.

B

mus,

n) *In Vindictis pro Lege & Imperiò c. 1. p. 7.* o) *l. c. c. 2. p. 25.*

p) *Lib. 1. c. 6. p. 80.* q) *Esa. 44. v. 6.*

nius, (r) qui Gloriae sibi ducunt dubitare de omnibus. Adscende igitur, monemus, ad causam tui, perge & inquire undè illa, tende porrò si potes in Infinitum, si non poteris, fige pedem, pone terminum & quidem talem, undè intelligas primum tuæ Naturæ competens Esse, undè conservatio ejus atqve reliquorum imò tui ipsius sit. Quomodò enim conservandi vis vel ad parentes tuos vel ad te venisset? Tempus certè in multas dividitur partes inquit le Grand, (s) nec una dependet ab alterâ, cùm res durans possit singulis Momentis desinere esse, ac proindè ex eò quod heri fuerit, non sequatur, hodiè debere existere; igitur quod esse illius perseveret, ab aliquâ aliâ causâ, quæ illud conservet & singulis momentis quodammodò quasi reproducat, esse debet. Atqve hoc certè proavi tui nullò modò efficere potuère, remanes enim superstes quando illi unà cum tuis parentibus decesserunt. Habes igitur tuum esse tuamqve unà cum ipsorum conservacione incolumitatem ab unò summò & communi Ente quod Deus à nobis appellatur. Habebis igitur simul & esse tuum Morale, (t) ut benè agas, id quod salutare unice dant leges, ab eòdem, nisi velis, quod absurde faceres, duas causas primas statueres, socialiter ad esse & conservacionem tui cooperantes.

XV.

Quomodo itaqve Deum concipies? reverà ut causam summam atqve primam, ut omnium rerum potentem, quoniam enim te tanquam nobilissimum naturalium omnium effectum ab eòdem esse sentis, quid moveat te, ut ignobiliores ab eò minus dependere credas? Imò ut optimam; Quia nempe perfectiones in te deprehendis ut eadem & in longè eminentiori gradu in causa tui sint, cognosces. Si itaqve bonus est, imò optimus, quia omnis bonitas ipsum prædicat sui Autorem, quí poterit esse injustus? Si justus est quí potuerit te creasse iniquum adeoque malum, imò hâc ratione pessimum. Porrò, quas modò perfectiones humana mens cogitando attingere potest, eæ in Deo si non formaliter tamen virtualiter imò eminenter deprehenduntur. Ergò sapientia, scientia, sanctitas, duratio infinita & planè incomparabilis in ipso sunt. Quí potuisset

r) Vid. Excellent. Dn. Rechenbergii Introd. in Philos. ante aliquot annos traditam. s) Instit. Philos. P. 5. p. 401. seqv. t) Magnif. Dn. Scherzer. System. Loc. 6. de Provident. S. 15. seqq.

tuisset ergò sine summâ atqve optimâ ratione quicquam facere Deus? & consequenter non sine fine naturæ rerum conveniente, sibi verò grato quicquid condidit quod inter & homo creaturarum Nobilissima condere potuit. Patescit hinc partim Dominium (u) ejus in res à se factas, adeoqve facultas, easdem quas quidem obligationis capaces esse voluit, obligandi. Patet deinceps necessitas, (x) ut ne Deus omnium sapientissimus & sanctissimus creaturam ullam in primis verò rationalem in confusione & sine ordine crearet, creatamqve sustentaret. Patet demùm Creatoris benignissima voluntas, quæ quia essentiæ, quæ mera sanctitas est, nihil adversum voluerit unquam, haud quicquam lubentius egisse, quàm hominem suis legibus ad benè agendam compellâsse censenda est.

XVI.

Dicis: Omnium verò rerum positivarum efficiens principalis ipse Deus est, quâ ratione igitur specificam h. l. ingreditur Differentiam? Resp. Primùm attendendum esse ad substratam materiam. Cadunt igitur res physicae de quibus sermo hic nobis non est, & remanent leges. Jam equidem largimur universas & justas leges à S. numine tanquam fonte omnis bonitatis & rectitudinis debere proficisci. De positivis divinis res certa est, neque humana jura, quæ quidem legitimæ potestatis decreta sunt, pugnare decet cum J. N. sed eidem saltim circumstantiam aliquam probabili ratione non necessariò definitam addere. (y) Lex enim humana non obligat inquit Præceptor noster Honorat. Magnif. Dn. Scherzerus, (z) nisi ut justa est, h. e. quatenus ex æternâ illâ lege, justitiâ sc. & sanctitate Dei derivatus quidam rivulus est. Igitur legum humanarum, quatenus naturalibus conveniunt, Deus quidem causa est, sed non immediatè talis, positivarum suarum itidem causa est, sed ex merò ejus beneplacitò profectæ sunt, cumqve statui nostro non conformes esse omnes voluerit ipse, nosmet hodiè non obligant; illas enim quas

u) Caramuel Theol. morali. c. 2. p. 65. confer Joh. Broun. de Jure Dei. p. 44. x) In adversum abit Caramuel existimans Deum ex merâ libertate legem naturæ tulisse. l. c. p. 151. y) Vid. Dn. Philippus. C. 2. Epit. Philos. moral. p. 99. Item Meisnerus Lib. 2. de legibus. Quæst. 6. z) System. Locò. 9. §. 4.

Decalogus comprehendit ad naturales referimus, præeunte summè Rever. Dn. Scherzero, (a) quippe quamvis Deus eas nunquam jussisset nihilominus observari debuissent. Et hæc ex universali illâ regulâ sanctitatis & justitiæ divinæ tanquam Jus *ἐκ τῆς φύσεως* profilière, Deumqve Autorem immediatè talem agnoscunt, id quod ne Gentilium saniores inficiari potuèrunt. Nihil inquit eximius ille Stoicæ disciplinæ Professor Cicero, est etiam in temporali lege justum, quod à lege aternâ non derivetur. Et iterùm: Quod si regnante Tarquinio nulla Romæ lex de stupris NB. scripta est, idcirco non contra illam (*ἀρχαίφρων* atqve sempiternam) legem S. Tarquinius Lucretiæ Tricipitini Filia vim attulit. Erat enim ratio profecta à rerum Naturâ &c. quæ non tum demùm incipit esse lex, cum scripta est; sed cum orta est. Orta autem simul est cum mente divinâ. Quamobrem lex vera atqve princeps (b) apta ad jubendum & vetandum Ratio est recta S. Jehovæ. Quodcunqve ergò ab immutabili Dei sanctitate & justitiâ, non verò tantùm ab ejus libera voluntate immediatè dependet, ejus causa efficiens reverà Deus est, & quoad hoc J.N. à reliquis differre facit.

XVII.

Insurgunt quidem contra assertum hoc plurimi, (c) putantes beneplacitum Dei unicè fontem esse sive causam omnis Moralitatis. Agmen ducit Caramuel Lobkovvix Abbas Disemburg. qui paulò ingeniosius rem tractat, quare eum præ cæteris nominare libuit. Quia verò detestandum ex eorum doctrinâ fuit axioma, omnem nempe actionem secundùm se ac intrinsecè indifferentem esse, quòd cum à Theologis meritò repudietur, nec nobis arridet. Cæterùm quàm spinosa quamqve acuta etiam eorum sint Argumenta, postponenda tamen sunt simplicitate Biblicæ, cujus effatum cum colendisimò nostrò Præceptore Magnif. Dn. Scherzero (d) ex Proverbiis Salomonæis depromptum reponimus, per me (introducitur loquentem sapientiam aternam) Reges regnant, & legum Condito-

res

a) Confer Colendis. Præcept. nostrum Dn. Alberti. P.1. c.3. §.37. Item Beckmannum Dissert. Polit. 13. §. 13. Politica Parallela. Dissert. 2. §.7. b) Rationem Denominationis cur Princeps dicatur dat Caramuel lib.1. p.7. c) Job. Broun. l. c. l.1. c.3. d) l. c.

res iusta decernunt. (e) Jubemur itidem sancti esse, quoniam Deus sanctus est, (f) quod ipso divina Majestas suum mortalibus exemplum ut regulæ instar sit, insinuat; salvâ interim istâ præeminentiâ, quâ Creator infinitus finitam creaturam post se reliquit. Jubemur itidem perfecti esse sicut pater noster perfectus est. In quæ verba Raupius *ωωεε* non æqualitatem præcipit, sed in quantum nobis studio & exercendo datur provehi. Consentunt Judæi gentiles & Christiani finem hominis assimilationem cum DEO esse, quod fit, si sanctam & justam agamus vitam. Agimus verò, si secundum legem naturæ agamus. Ex quò consequitur necesse esse, ut ipsa lex naturæ divinæ conformis sit, eò nempe in gradu quò voluit Deus. Sicut ergò divina sanctitas & justitia ad voluntatem suam se nostrò concipiendi modò anteedenter habet; ita Jus Nat. quod in nobis ad istam expressa est, anteedenter divinam voluntatem respicit, h. e. originariè non à voluntate sed à sanctitate & justitiâ DEI dependet. Qua de re pluribus *Dn. Zeutgraff. Profess. Argentorat.* (g) Quid quod J.N. si ex solo DEI Arbitrio, (h) ceu Caramuel sentit ortum suum nancisceretur, omninò divinitus indispensabile non esset, quod ex professo infra negaturi sumus. Si verò ex necessitate simul sanctæ & justæ naturæ DEI derivetur, indispensabilis est, quia si contra hanc legem ageret contra se ipsum ageret, id est se abnegaret, quod *ἀδύνατον*. (i) Atque si per eos, qui Christianorum more philosophari abnuunt, lumine gratiæ, ad collustrandum ea quæ diximus, uti nobis liceret, orthodoxa de statu integritatis doctrina negotium nostrum admodum faciliteret. In eò enim imaginem DEI habuit homo quæ principaliter in justitiâ & sanctitate ad divinam formatâ consistit. Beneficiò autem hujus bona spiritualia sufficièter intellexit, moralia promptissimè exercuit, quod nil aliud est, quàm quòd erga DEUM, deinceps etiam proximum quem nactus esset, J.N. conformiter se gesserit. Docent enim summò consensu Theologi orthodoxi reliquias quasdam imaginis, homini lapsò à DEO benignissimè adhuc relictas esse, quibus principia Theoretica & Practica & consequenter J.N. accensenda sint, un-

B 3

dè no-

e) *Proverb. 8. v. 5.* f) *Matth. 5. v. 48. Luc. 6. καὶ ὡς ἢ ἑαυτοῦ
τα sed ὁμοιωθήτω notat. Ephes. 4. v. 24.* g) *l. c. p. 56.* h) *Becanus Part. 1. Theol. Scholastica Tractat. 3.* i) *2. Tim. 2. v. 3.*

dè novum sententiæ nostræ accedit robur. Cujus naturæ fuit totum homogeneum, ejus est & pars. Sed imago DEI tanquam totum, expressum fuit ad Dei Sanctitatem & Justitiam. E. & reliquæ ejus tanquam pars ita sese habent, consequenter J.N. à Dei Sanctitate & Justitiâ dependet.

XVIII.

Pergimus ad materiam quæ vel in quâ, vel circa quam, vel ex quâ. Prima species subjectum inhætionis dicit, quod in Definitione creatura rationalis dicta, quâ voce etiam Angelos comprehendimus, qui in Scripturâ ἀμαρτήσαντες vocantur. (k) ἀμαρτία verò legem præsupponit, quia ἄνομία i.e. privatio legalitatis sive recessus à lege est. (l) consentit nobiscum Caramuel. (m) aliq̄ve Scholasticorum. Sed quia illorum consideratio superioris Hemisphærii est meritò prætermittuntur, & altera creaturæ rationalis species quæ oculis nostris quotidiè obversatur, præsentī tractationi à nobis subjicitur. Vocatur is homo & aptus natus est ad recipiendam legum obligationem *ex parte sui*, quia voluntatem adeptus est in utramque partem flexibilem, adeoque ad normam aliquam moralem sese componere validam, præ illis quidem quæ ad uniformem agendi modum intrinsecè sunt determinata. Deinceps à *parte alterius* non immunis esse poterat à sui superioris Potestate, qui Creator est. Id quod non tam ex imbecillitate virium venit, sicut sensit Hobbes, ad cujus hypothesein notabilia Puffendorffius reponit verba. Per imbecillitatem non adimitur Jus quò minus quis & desiderare & omnem movere lapidem possit ut alterius vim liceat effugere. Quod Jus tamen vera obligatio omninò excudit. Neque sequitur duorum omnipotentium neuter potest alteri obligari. E. ideò mortales Deo tantum obligantur quia non sunt omnipotentes. (n) Neque ex Super-Eminentia Naturæ ejus, qui supra nostram sortem evehctus nos obligat; Nobilioris Essentiæ contemplatio admirationem quidem gignit, non verò statim alterum obligat, aliàs ne à Dominiò quidem Angelorum nos homines immunes esse possemus. Sed potius ex insigni creationis beneficiò. Cui enim quod esse potuerim in acceptis refero, quodque is mihi rectius quam ipse valeam prospicere

k) 2. Petr. 2. v. 4. l) 1. Job. 3. v. 4. m) Theol. moral. lib. 2. §. 1059. pag. 262. n) lib. 1. c. 6. §. 10. p. 89.

cere possit, sciam, quid rationis apparet quare ejus imperium detre-
ctare velim? Jam verò Deus hominem ex nihilo produxit ceu
Scripturæ loquuntur, adeoque quod scimus liberè, non aliundè jus-
sus vel adjutus, sua virtute cum à non esse ad suum esse transtulit, &
quidem ad tale, quod cum summò & infinitò suò intellectu ex amus-
sim conveniret. Satis igitur homo legum divinarum capax est, & à
DEO sapientiæ, justitiæ & sanctitati suæ conformiter obligari po-
tuit. (o)

XIX.

Dicis: Fortè tamen bonitatem Dei decuisset, ut quia flexibi-
lem voluntatem homini dederit, pateretur utiqve eundem suâ volun-
tatis flexibilitate citrà impressæ Regulæ impedimentum uti, quo-
niam hâc ratione incassum videtur recidere voluntatis libertas, si
multa possit velle, quæ necessariò intermittenda sunt. Sed Resp. r.
κατ' ἐνστασιον. Omnimoda atqve ex asse talis libertas in S. cadit
Deum quæ tanquam nobilissimum perfectissimæ essentiæ concipi-
tur attributum neqve tamen Deus indifferenter sese ad benè & malè
agendum habet, sed tantùm benè agere novit, quanquam id non fa-
ciat ex necessitate alicujus legis qualem humana mens sibi concipit,
sed ex necessitate Sanctissimæ Suæ Essentiæ, cui ob suavissimam divi-
norum attributorum Harmoniam, Voluntas, in quam nimirum fa-
cultas illa intrinseca agendi autem non agendi cadit liberrimè, suf-
fragatur. (p) Ita propè res sese habebat cum homine in integri-
tate adhuc constituto. Libertas non deficiebat quia voluntas ade-
rat, (q) cui quasi intrinsecata est & per essentiam competit; & hoc
tamen tanquam imaginis proximus effectus competeat homini, ut
in bonò sine ullò ad peccandum illicitò perseveraret, id quod à Deo
ita

- o) Dn. Zentgraff. de J. N. Artic. 1. §. 9. p. 45. Item B. Brochmandi
Artic. de Prædest. c. 3. Quæst. 7. omne jus quod Deus sibi vendi-
cat in Creaturas, veluti æquitate temperatum est, ita nititur ali-
quò Dei in ipsas beneficio. Confer Dn. Osiander ad Grot. p. 103.
p) Liberrima enim voluntas divina est, ad intra libertate co-
actioni non verò Nature Immutabilitati opposita inquit Theol.
Celeberrimus. Scherzerus Syst. loc. 2. de Deò. pag. 47. §. 14.
q) Dn. Osiander. Theol. moral. c. 7. §. 16. p. 200. confer Compton.
Disp. 24. de animæ libertate Sect. 3. seqq.

ita ordinatum est, ut creatoris Gloria inde exsplendesceret, ipsaque hominis felicitas amplior redderetur. Postquam autem libertate primigenia abusus esset, Sanctitati & Justitiae pravitas succedebat incredibilis, quam, quoniam homo non plane ob delictum hoc eradicandus erat, ne in creatorem injurius sibi molestus, societati ad quam alendam conditus antea, perniciosus esset, ut coerceret effector potentissimus, ex antiqua imagine relinquenda adhuc aliqua Axiomata practica esse, necessarium judicavit Numen; Quae Jus hodie naturale constituunt ad licentiam peccandi dedecorofam & noxiam, temperandam. Nullò modo verò originaria libertas hoc ipso suppressa est, quippe cum, quod directa responsio est, libertas verè & proprie sic dicta non semper requirat, ut ipsius actus specie differant v. gr. ut homo possit agere bene & male, sed sufficit si gradu distingvantur, v. gr. efficere bonum majus aut minus, ceu rectè docet Praeceptor noster Honorat. *Dn. Alberti* (r) obedientia enim quae ex decreto S. Numinis Juri debetur, non pugnat cum libertate sed tuetur eam. (s) Hinc Papinianus: Quae laedunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est. (t)

XX.

Homini igitur παντι και ανευ προσωποληψιας inest hoc Jus, & semper inest. Gentes enim (sine omni restrictione ac limitatione Aetatis autem Sexus, opus legis inscriptum in cordibus suis ostendunt. (u) Non excipitur Atheus. Quod Hobbes vult, putans, talem non esse subditum in Regno Dei, sed hostem, ut adeò non Jure Imperii, sed Jure Belli puniendus sit. Quem refutavit Cockius. (x) Non Infans. Inscriptio enim Juris N. cordi facta habitualem implantationem notat, acquisito quidem habitui contra-distinctam, ceu

r) *Discursu in Metaph. Stablii Tab. 3.* s) *Dn. Oslander Th. mor. l. c. p. 202.* t) *l. Filius. 15. D. de condit. Instit. & Tullius pro Cluentio. Legum idcirco omnes servi sumus ut liberi esse possimus.* u) *Rom. 2. v. 15.* x) *In Vindiciis pro L. & J. Disp. 1. c. 5. §. 36. quoniam & hic ob hypotheses quasdam falsas, Hobbesi, quas refutare sibi proposuit sententias, nondum plane jugulasse videatur Excell. Dn. L. Rechenbergio in Ευγημ. Hobbes. c. 1. §. 9. p. 10.*

ceu ex Stylo Scripturæ observavit Judiciosissimus Theologus *D. Scherzerus*. *y)* Peccant enim hi etiam actualiter licet ἀπεργασθέντως. *z)* Ita B. Augustinus dicit de Jis: Imbecillitas membrorum infantilium innocens est, non animus infantium. Vidi ego & expertus sum zelantem parvulum, nondum loquebatur & intuebatur pallidus amarò aspectu Collactaneum suum. *a)* Qui verò peccant, peccabunt contra legem. Omnium verò maximè, quæ amplissima, est in naturalem. Nec obstat ἀδυναμία implendi eam propriâ quidem culpâ in Adamo contracta, *b)* quoniam si hæc ipsa culpa hæreditaria abesset, radices non inveniret subsequens actualis. Quoniam igitur essentiâ humanâ hodiè non destituuntur pueri, ideoquæ accidens illud inseparabile ab iis abesse non putandum est. *c)* Nec ignorantia legis ipsius; quia obligatio infantum non ex ipsorum scientia sed legislatoris potestate & semel factâ naturali impressione nascitur. *d)* Nec nocet quod non voluntariè peccent, quod ad formale peccati non requiritur. Omne enim ἀνομον peccatum est, sed non omne ἀνομον ἐκείνον sit necesse est. *e)* inde verò nullum periculum accedit divinæ justitiæ, DEUS enim non tenetur accelerare usum rationis, cujus defectus in statu integritatis infantibus ad rectè vivendum non obfuisse. Luenda igitur ignorantia est propria culpa contracta.

XXI.

Neque verò solum inest homini naturale Jus, verùm etiam operatur in eum, & in specie in voluntatem ejus, quæ ad Libertatem suam stringi ac determinari unicè potest, *f)* Absit verò ut bruta quoad hoc humano lateri adjungamus. Quamquam enim divina

C

Provi-

y) Loc. 9. de Lege. §. 12. p. 269. In diversum abeunt Pelagiani atq; nonnulli Pontificiorum à Meisnerò refutati. Lib. 1. de Lege. p. 72. seqq. Brochmand. Tom. 2. locò de Lege p. 6. *z)* Dn. Scherzer. Syst. loc. 7. de Peccatò §. 11. p. 169. *a)* lib. de Confess. c. 7. p. 16. apud Dn. Ostandrum ad Grotium. p. 55. *b)* Rom. 5. v. 19. *c)* contradicit Caramuel, puerum putans non obstrictum esse Decalogo. Decalogum autem nos pro Repetitione Juris N. habemus ceu supra evictum. *d)* Verba Magnif. Scherzeri. L. 9. de Leg. §. 5. *e)* Scherzerus L. 7. de Peccatò. §. 1. *f)* Vid. Rachel. de Jure Natur. p. 35.

Providentia quaslibet res ad finem sibi convenientem condiderit, motuque interno ad hunc obtinendum instruxerit ; id tamen quod naturali & simplici inclinatione, atque ad bonum sibi ordinatum appetitu fit , non statim propterea cum morali confundendum est obligatione. Quæ enim extrinsecâ facie similia videntur (v. gr. quod actus aliqui brutorum similes sint iis, quibus homo legi satisfacit,) si ex diverso Principio intrinsecus profluxerint, non statim eadem sunt. (g) Sublatâ verò vocum æquivocatione, quales sunt Lex, Jus, Obligatio, Ratio, &c. nobis cum Hugone de Roy, b) qui præcipuus inter adversarios eminent, disputandi vix supererit materia. Originem hujus erroris assecutus est Dn. Oslander ; putârunt scilicet gradum rationis possideri à brutis. i) Sicut & integra volumina hanc tuentur sententiam k) quæ verò prolixis & satis eruditis scriptis diluta esse scimus. l) Quare toties cocta crambe Erudito Lectori nauseam non ciebumus.

XXII.

Observatis iis quæ ad subjectum pertinebant, transitus ad objectum, scilicet materiam circa quam Jus Naturæ versatur. Eam superius diximus esse actiones *νηθιας*, quo ipso statim sequestramus *πνευμαλικας*; illasque tam internas quam externas. Eæ hic considerantur quatenus in se & antè præceptionem vel bonæ, vel malæ sunt, circa quas deinceps Jus Naturæ jubendo vel vetando sese exerit. Quæritur ergò. An licita & illicita ante legem dentur? Negant aliqui ut occam, qui tantâ hic utitur licentiâ blasphemandi potius quam

- g) Verba sunt Joh. Broun. l.c. p. 61. h) vid. ejus Tract. de Eo quod justum est. Ubi Jus Naturale Brutis competere prolixè defendit. Refutatum vide à Rachelio Dissert. 1. de Jure Natur. S. 39. seqq. i) Ita enim hesitant scholasticorum acutissimus Arriaga disput. Phys. 7. sect. 6. subs. XI. ad quod dubium respondet Becmannus Polit. Parallelâ dissert. 2. S. 3. in fine. Ita Salmasius, librum posse Exemplis impleri, quibus animalia ratione non destitui probatur, dixit. k) Jesuitæ Rorarii Tract. quod bruta melius utantur ratione, quam homo, Ivo Parisinus in Tract. de J. N. à Deo rebus creatis constituto. Petrus Gassend. 2. Eth. c. 5. l) vid. Broun. de J. N. creato p. 62. Pufendorff. l. 2. c. 3. S. 3. seqq. Selden. de J. N. & Gent. l. 1. c. 5. Dn. Zentgraff. de J. N. art. 1. S. 4.

quàm philosophandi, ut non tantùm censeat, Deum posse absolvere
 à præcepto amoris sui, sed etiam præcipere se odio haberi, quod de
 eo scribit honoratissimus noster Præceptor, Maximè Reverendus
 Dn. Alberti m) additqve hanc sententiam Parisiis meritò damnatam
 esse. Johan. Caramuel Lobkowitz n) ubi contra Svaretzium no-
 stræ sententiæ addictum acerrimè disputat. Thomas Hobbes o) quan-
 do inter alia dicit: Præcepta Decalogi de parentibus honorandis,
 de homicidio, adulterio, furto, &c. falso testimonio simpliciter leges
 Civiles esse & eatenus tantùm naturales, quæ lex naturalis jubet ob-
 servare pacta. Item antè imperia justum & injustum non extitisse,
 contrà omnem actionem suâ naturâ esse adiaphoram. Quod justa
 & injusta sit, à jure imperantis provenire. Sat absurdè; (De quo fa-
 cilè credidero quod Dn. Rachelius scribit p) se nunquam incidisse
 in ullum scriptorem, qui absurdiora ac tetriora placita orbi erudito
 exposuerit, ut, sæpius miratus sit, quod ullius Viri docti boniqve
 suffragium mereri potuerit. Quare etiam eos laudat, qui detractâ
 ipsius Philosophiæ larva monstruosam deformitatem ejus detexe-
 runt. Quâ in re strenuum sese præstitit Pl. Reverend. Dn. Rechen-
 bergius in scripto suo, quod *εὐρημα* Hobbesianum in Relig. Chri-
 stian. novum discussum vocat. Item Sethus Wardus Oxoniensis Aca-
 demiciæ Professor, & Richardus Cumberland Tractatu de legibus
 naturæ & refutatione Philosoph. Hobbianæ.) Sed quotquot etiam
 adversariorum sint, affirmativam tamen amplectitur sententiam.
 Præmonemus itaqve hic in quæstionem non venire actiones qua-
 tenus in genere physicò seu lineâ naturali spectantur, sed quatenus
 circumstantiis adesse debitis vestiti sunt. Cicero inquit hæc de re:
 Quid tempora petant aut quid personis dignum sit semper con-
 siderandum. Talium actuum principium est ipsum agens, quis
 agat, num ex habitu an verò dispositione agat, quò ætatis, sexûs, offi-
 ciiqve statu vivat. Deinceps objectum quod nonnunquam in re-
 spectu ad agentem moralitatem accipit. Observavit hoc ipse Deus,
 prohibens nuptias cum matre ineundas. q) Cur? præ tendit Deus
 objectum; quia Mater tua est. Prohibet item attrectare rem alie-
 nam

C 2

nam

m) Part. 1. Compend. c. 3. §. 24. n) Theolog. Moral. l. 2. art. 11.
 sent. 2. o) Element. Philosoph. de Cive, c. 14. art. 9. item c. 12. §. 1.
 p) c. l. p. 110. q) Levit. 18. v. 7.

nam invitò Dominò lucri faciendi ergò, quæris causam? quia non tua est. Porro finis actionem omnem eliciens. Credo enim nulum esse, qui sciens & volens quicquam agat nullò sibi præfixò scopò. Prout igitur ille honestus aut inhonestus est; ita actum aliquem afficit. Patet hoc in Pharisæo & Publicano, r) quorum actum finis distingvebat. Conscendebat enim Pharisæus ut spectaretur, publicanus ut exaudiretur à Deò. Animadvertit hoc B. Augustinus s) scribens: Deus filiò non peperit sed tradidit ipsum prò nobis & filius tradidit semetipsum. Judas utiqve Christum tradidit, cur in hâc traditione Deus pius est, homo reus? nisi quia in rê unâ quam fecerunt causa non est una quâ fecerunt. Harum conditionum aliquæ necessariae sunt ad actus morales substantiam, & tunc nomine essentialium veniunt, aliæ minus necessariae, ad quantum solùm facientes. Ex: gr. Ad naturam latrocinii pertinet occisio innocentis in itinere occupati. En habes essentialia attributa! Ad quantitatem pluralitas facit eorum qui à latrone extingvuntur. Notandum tamen ens nonnunquam etiam ad specificationem cooperari, ut si quis non solùm res alienas aufert, sed etiam quas cultus divinus sibi vendicat. Jam quæritur annon moralitas principis illis insit ante liberam superioris impositionem, an verò omnibus & universis actibus moralem æstimationem imprimat lex ex voluntate liberâ imperantis unicè orta? Posterius multi affirmant, quorum rationes in scriptis virorum Eruditissimorum expositas legere licet. Solidè confutatas videbis in Plurimum Rever. Dn. L. Cypriani Dissertat. de Indifferent. morali, cui vix suppetit quod addamus.

XXIII.

Sententiam tamen nostram, ne planè nihil dicamus, paucis feremus, quam sicut supra Juris N. existentiam probaturi, ex Dei existentia deduximus, ita ejus objectum ex ipsius Essentia derivabimus. Factæ sunt à Deò omnes res quarum unicuique naturam suam assignavit prout nimirum Idea divini intellectus essentiam earum ab æternò fieri voluit. Sicut verò intellectum divinum in signò rationis ante voluntatem Numinis concipimus, ita quoqve objecta Divini Intellectus nostrò concipiendi modò antecedenter ad divinam voluntatem se habent. Unde sequi-

r) Luc. 18. s) Epist. 48. ad Vincentium.

sequitur tales essentias necessario rebus competere, quales Intellectus
 Divini Idea ab aeterno illis adjudicavit. Sed quia ob summam &
 infinitam Intellectus divini perfectionem aliter divinae menti objici
 non poterat quam quidem ipsae ex divini Intellectus judicio longe
 verissimo certissimoque id poscebant, necessario illis a DEO has &
 non alias datas esse essentias concludimus. Sicut autem Essentia
 Dei non liberè sed necessario summè bona, justa, sapiens ac sancta
 ita eae res, quarum essentia ex necessariâ DEI dijudicatione talem &
 non aliam essentiam habet, necessario similiter non verò tantum ex
 voluntate divinâ liberâ sanctae sunt, justae & bonae, nullatenus verò
 malae sunt, nisi quas necessario divino intellectui disconvenire dixe-
 ris. Et per consequens datur aliquod bonum & honestum ante le-
 gem liberè latam. Hâc verò ratione in voluntatem Dei injurii non
 erimus, quia voluntas Dei liberrimè cum reliquis Dei attributis essen-
 tialibus ad actionem cooperatur. t) Videamus aliqua exempla.
 Quoniam Deus bonus est & Sanctissimus, omnis scelerum labe neces-
 sario ipsi adversa erant, etiam si nondum quis in rerum naturâ ef-
 fet, qui malè agere posset. Porro, sicut ex suâ Sanctitate & aeternâ
 Bonitate hominem creaverat, ita objectum ex suâ naturâ factum est
 adorabile. Consequenter tunc colere Deum est actus suâ naturâ ho-
 nestus, odisse Deum est actus ab aeterno etiam (si possibile fuisset ut
 Ens aliquod DEO coëxistisset & Deus tamen Deus mansisset, odi-
 um Dei in actum deducere valens) turpis ipsique agenti perniciosus,
 ita in aliis etiam exemplis comparatum est. Quia enim humana
 natura talis & non alia ex aeternâ Dei intellectuione creanda erat,
 qualis hodiè est, exceptis iis extraessentialibus, qualia sunt imago
 Dei &c. necessario socialis erat adeoque hodiè per naturam suam
 Societatem excolit. u) Hinc sociale esse, suâ naturâ bonum, nec
 lege liberè nata demum præcipiendum. Societate igitur in vitâ re-
 ctè uti, per se bonum. Quâ de re pluribus Dn. Zentgraff. x) Et hac
 ratione modus etiam promulgandi hanc legem fit manifestus. Fa-
 ctus ille est per impressionem ejusmodi habitûs quò nôset homo ra-
 tio-

t) vide hâc de re egregia optimi nostri Praeceptoris Dn. Alberti ver-
 ba P. 1. Comp. c. 3. de Origine J. N. u) Genes. 2. v. 18. x) Art. 3.
 Dissertat. S. 3. 4. seqq.

tionalis quid agendum quid omittendum, quod paulò post probabimus.

XXIV.

Tangimus hac ratione materiam ex qua J.N. consistit. Quia enim actus honesti & inhonesti naturâ dantur, ideoque utitur ad præcipiendum vel prohibendum eos, præceptis tum affirmativis tum negativis. Distinctionem hanc agrè fert *Dn. Becmanus* y) dicitque eam esse nullam, quod in omni iussione per consequentiam sit contrarii prohibitio, & viceversa. Sed tuetur nos *Gvilielm. Grotius*, cujus verba hæc sunt: Inter hæc præcepta magna quoad effectum est differentia; priora enim non ita indistinctè, & citra omnem temporis, loci & reliquarum circumstantiarum considerationem obligant, ut altera posteriora, quorum vis se in omnem locum & tempus extendit; z) Quò cum alibi ipse videtur *Becmannus* facere, quando *Judæorum* observationem suam facit, præcepta nimirum negativa NB. fortius obligare præceptis affirmativis, quòd illa nihil relinqvant, hæc verò ampliationem non recusent, petitque indè rationem, ob quam Deus legem negantem potius, quam affirmantem introduxerit. Conferat quis hæc verba cum *Grotianis*, nec ovum ovo similis quàm eadem esse comperiet, Inde fortè memoria lapsus his in locis, quod aliàs ejus ingeniò indignum esset, sibi contradixit. Sentimus verò nos cum *Grotiò*, præsupponentes tñ. cum *Dn. Osiandro*, τò præcipere accipi aliquando in sensu laxiori, prout ad affirmationem & negationem se extendit. Sicque prohibitionem sub præcepto comprehendimus, aliquando præstius in quantum prohibitioni contradistingvitur. Illò modò ipsi *Decalogo* aptatur, qui decem præceptis constat, affirmativas pariter ac negativas leges continens, h. m. itidem quidem in *Scripturis* fundatur. Declina à malò & fac bonum inquit *Psaltes*. a) Prævit igitur ipse Deus & discrimen aliquod hic agnovit, aliàs ne quidem homini integro præceptum dedisset de non comedendò fructu arboris, causam vide à maximè *Rever. Dn. Alberti* datam. b) Et hæc sunt

εξαι

y) *Polit. Par.all. Disput. 13. §. 9.* z) *Librò de Principiis J.N. c. 2. §. 11. p. 27.* a) *Psal. 37. v. 27.* b) *Part. 1. Comp. §. 45. vide hanc distinctionem approbatam à Summè Rever. Dn. Scherzero Loc. 9. de lege, §. 7. Item à Job. Broun. lib. cit. p. 77.*

ἕξεις Φύσιν) ab Aristotele c) pueris attributæ, ad honesta inclinantes, constantqve vel generalioribus vel specialioribus principiis, quibus conclusiones illas per evidentem illationem ex principiis naturalibus fluentes annumeramus.

XXV.

Formam paucis attingemus, quæ cum naturali obligatione tum etiam impressione in cor, ceu Apostolus loquitur absoluitur. Gentes enim φύσει faciunt quæ legis sunt adeoque actio naturalis præsupponit similem obligationem d). Sicut itaque J. N. Ens est permanens, fixum & perpetuò menti humanæ connexum, ad cuius comparationem conscientia bonum & malum refert atque examinat; ita meretur omninò ad speciem quandam habituum referri, quod ex ratione imaginis divinæ perspicuè deducunt Theologi. Non enim est ipsa anima rationalis, quò inclinare mihi videtur, citatus supra Reformatorum Theologus Becmanus, putans imaginem divinam in ratione consistere, quia DEUS seipsum & omnia extra se perfectissimè cognoscat. e) Quamvis enim admittam hominem eò ipsò quò rationalis est, propius quàm Brutum, substantia merè corporea in quâ ceu citatus Vir adnotat nulla cum Deò similitudo deprehenditur, (cum Spiritus ille sit,) ad ipsum DEUM accedere; haud tamen scripturæ consuetum est dicere imaginem DEI in ratione consistere, quæ saltim indifferenter se ad bonum & rectum habet, & quam nequè hodiè amissimus. Imaginem verò DEI amissimus. Aliàs ipsi diaboli imagine DEI superbirent, intellectu & voluntate longè sublimiori quàm homines ipsi, gaudentes, quos verò nihil minùs quàm DEI imaginem possidere certum est, ceu ex eò patet, quod ex Invidiâ, quæ felicitatem celeri semper pede sequitur, & malevolentia, homines eò adegerint, ut miseriæ diabolicæ facti eheu sint socii. Sed habitus erat homini integro naturalis & concreatâ sapientia sanctitateq; animam intelligentem & volentem perficiens. f)

Qvale

c) Lib. 6. Nicomach. c. ult. d) Meisnerus l. c. p. 137. confer. Grotium p. 34. Becmannum de legibus dissert. Pol. 13. §. 7. e) Dissert. 2. Pol. Paral. §. 3. p. 11. f) vid. Magnif. Dn. Scherzerum Præcept. longè colend. L. 5. System. §. 9. B. Meisnerum Lib. 3. de L. L. à pag. 164. ad 170.

Qvale igitur totum *g)* homogeneous talis residua ejus pars, quam J. N. appellamus, summò cum Theologorum Orthodoxorum consensu.

XXVI.

Finis est sicut in omnibus ita & hic Gloria DEI, *b)* quam promovere per se honestissimum. Sicut verò differentia gradualis est inter Jus N. prout homini integro competiit, & prout corruptus adhuc possidet, ita etiam homini minorem hodiè nempe naturalem non verò spiritualem affert utilitatem.

XXVII.

Jactis hisce fundamentis, dubitare vix potest quisquam de existentiâ J. N. deqve ejus immutabilitate, quæ ex supra positis fluit clarissimè imò facillimè.

XXVIII.

Atq; primum quidem immutabilitas, quæ vox ratione hominis quidem negativa esse videtur; ratione verò rei, reverà aliquid ponit. Notat enim plenariam alicujus rei in suo statu debitò permanentionem, hoc est, actum æque ac potentiam negat remittendi aliquid de suo esse aut excedendi ex pristinò statu ut ex Jure non Jus fiat. Sicut viceversa mutabilitas potentiam cuidam rei tribuit, sive proprio ausu, sive externâ id adornante operâ pristinum deserendi statum. Atque hæc vel contingit per abrogationem rei totalem, quæ, vel destructione extrinsecùs factâ vel defectione aut desitione ab intrâ ortâ, quâ ratione mutatio propriè talis est & vocatur, quâ nominatâ impropriè talem prætermittimus, quod enim impropriè fit non verè ita fit.

XXIX.

In applicatione ad exempla res erit clara. Leges v. gr: ceremoniales atque forenses mutabilitatem seu potentiam recedendi ex suo Statu in se habebant, Latæ enim erant à supremò Nomothetâ Populo Israelitico, ceu Jehovah inquit, servabitis hæc in generationibus vestris, quod locis parallelis confirmatur. Lex tantum usque ad Johannem *i)* valorem suum extendit. Christus est Pax nostra, legem
man-

g) Totum enim nihil aliud est quam Partes unite. vide Compton. Carleton. p. 94. & p. 270. h) vide Meisner. Lib. 3. de lege. Quest. 4. p. 182. seqq. i) Matth. 11.

mandatorum in decretis abrogans k) sed & suo tempore ipsa subseqvebatur mutatio, quando ab Israëlitis ceu Grotius loquitur auferebatur obligatio quoad ritualia, ubi benè Viri hujus ambiguitatem quam in verbis suis adhibet observavit Dn. Osland. quod nolit modum obligationis aperte profiteri, an per meram cessationem, quod procul dubio cum Arminianis l) sensit, an verò per modum positivæ abrogationis contigerit, quarum postremum defendit Scriptura. Exemplum internæ defitionis præbere potest lex bellica, tempore Pacis redintegratæ, ea enim naturâ suâ sic ferente (usum enim uberiores non hacet) suâ sponte deficit atque finem appetit.

XXX.

An ergò talis mutatio Juri N. obtigit? Dicis, omninò. De Platone enim audimus, quod fateatur ipse, poculum lethes propinari nascentibus, ut obliviscantur notitiarum connatarum. Quicquid igitur ex mente eradicatur, ac profus deleatur illud mutatur imò mutatum olim est; subsumtionem cum Platone facit Cicero, dicens: Sunt Ingeniis nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam naturâ perducerent. n) Confirmant id ipsum gentilium circa hanc ipsam propositionem theoreticè & practicè versantium *ἡ ἀδελφότητα*. Cum enim quæ naturaliter velut ingenta omnibus obvia esse deberent, tam obscura & ferè imperscrutabilia visa fuisset, ipsis etiam sapientissimis & diligentissimis sui temporis scrutatoribus, cernerent aliqui; insuper quæ Antiqui Juris N. esse dixerant, apud multas Nationes aliter obtinere, imò verò in contraria discedere cognoscerent; hanc amplexati sunt sententiam, præcepta

D

na

k) Ephes. 2. v. 14. item ad Hebr. 8. v. 6. & 13. c. 10. v. 1. c. 8. v. 12. Rom. 10. v. 4. Act. 15. v. 10. Id quod ex scripturis probamus, quia pura revelationis sunt istæ leges. l) Ita Episcopus: Abrogatio propriè non fit nisi per contrariam rogationem, quæ hîc nulla est. Non est abrogata lex divina aliquò jussu à contrariâ sanctione, sed desit ac cessavit, factò istò divinò interveniente, quò Rempubl. templum ac populum amplius esse noluit; apud Oslandrum ad Grotium. p. 279. m) ita de libellò repudiî forensis lex positivâ abrogatione sublata est Matth. 19. v. 7. vid. Chemnit. L. de lege. p. 16. seqq. -- & adhuc viventem utinam diutissimè Dn. Scherzerum L. 9. de lege. §. 17. seqq. n) lib. 3. Tuscul. Quest.

naturalia nunquam extitisse, aut si fortè contrarium asserendum sit, conditionem eorum variabilem esse, & pro ingeniis hominum ferri, quòcunqve etiam tempore auferri posse. Prodeat in scenam senex ille stultus Carneades, o) qui ubiqve refutatur, quare hic prætermittitur. Impii Poëtæ, quorum alius Jovem ut adulterum, alius ut raptorem ingenuorum, corruptoremqve, & cognatorum quidem, alius ut Parricidam & regni alieni expugnatorem introduxit. p) Noxii Philosophi, quorum succedunt nunc filii practici, Corinthii & Babylonii Venerei, Persæ incestuosi, Phoenices superstitiosi ἀνδρῶν πρὸς ἰουσίαν exercentes. q) Veteres Galli, r) ejusdemqve farinae homines longè plurimi, quorum prolixum Catalogum cum adjectis facinoribus Calixtus Senior habet. s) Sed quicquid horum omnium sit, nihil tamen universi hi vel opinionibus vel factis suis abominandis Juri N. derogarunt. Platonem & Ciceronem quod attinet, verum est, si ad statum naturæ modernum respiciamus, oblivione obducta, imò propè delecta esse principia illa connata, attamen proindè cum Photinianis non neganda prorsus esse monet rectè B. Meisnerus. Consulat enim hâc de re quisqve conscientiam suam & ipsi erit mille testes. Itaqve quod honestum semel fuit, non degeneravit in turpe, utut sinistra assuefactio (quæ naturam humanam aliâ ac novâ quasi circumvestit natura) accuratiorem, quæ operi impendi debebat, intentionem ad indagandum J. N. homini non permittat. Platoni Platonem opponemus. In vigore enim perpetuò, honestatem atqve leges præcipientes eam, stare, in Timæo, Phædro & Gorgiâ docet. Sicut & Ciceronem Ciceroni, qui alibi legem, summam rationem NB. insitam in naturâ esse dicit. Et alibi Legem quam ex naturâ hausimus, ad quam non docti sed facti non instituti sed imbuti sumus, J. N. vocat. Poëtarum factum quod concernit, illud est Inventum diabolicum, ut pudor hominibus peccandi demeretur ceu Seneca loquitur. Undè prudentiores Gentiles conqvesti sunt, quod Dii non ob bonitatem sed potentiam ipsis con-

lendi

o) De quò vide Grotios ambos suosq; Commentatores. p) Ceu his verbis de its conqveritur sapiens Seneca c. 26. de vitâ beatâ. q) Vide Laërtii Lib. 2. à p. 99. ad p. 694. r) Vide Jul. Caesarem Lib. 6. de Bellò Gal. & Ciceron. Orat. prò M. Fontejo. s) Theol. moral. P. 1. à p. 49. usq; ad 61. Item Becman. Pol. Paral. Diss. 2. p. 13.

lèndi sint. *t)* Ita reliquorum Gentilium transgressiones ex depravatione opinionum & morum ortæ, non magis imminuunt J. N. quàm peccata quotidiè obvia, civiles constitutiones. Similiter nec mutabile illud efficiunt, quia multitudo errantium non parit peccato huic patrociniū. Aliàs quando insipiens in corde dicit, DEUS non est, *u)* ipse etiam DEUS mutatus esse, dicendus foret. Potius Scriptura adferit eos scire atq̄ve observare id ipsum potuisse, saltem detinuisse, ad instar Tyranni, qui innocentem vi opprimit & in tenebrosâ captivitate tenet, *x)* futuros etiam eos propterea ἀναπολογήτους. *y)*

XXXII.

Res igitur certa est, J. N. actu nunquam mutatum esse. Videndum nunc de obstaculo ob cuius renitentiam mutari neq̄ve poterit. Ab eius naturâ igitur iudicandi de re faciemus Initium, ut primò pateat an internæ ipsi deficiendi causæ sint. Habitum supra diximus J. N. esse non quidē acquisitum neq̄; divinitus per immediatam infusionem datum, qui ex suâ naturâ immutabiles prorsus non sunt, cum vel intensis morbis vel ex recto & iusto DEI Iudicio amitti possint; sed connatum, qui cognitionem ἐκλήην gignat beneficiō rationis suō tempore in actum sensibilem ducendum. Neq̄ve quisquam intetèa nobis vitio det, quod plures quàm quidem Philosophorum Princeps Aristoteles excogitavit, habitus hic ponamus Species. Sicut enim dicente Mendozâ non mirandum, novas in Logicam introductas esse propositiones, quia novum planè Ens venerit in Mundum; ita meritò novis habituum speciebus utimur ad explicandum id, cuius ortum & naturam Philosophus ignoravit. Ipsi enim Peripatus longissimè abfuit, ab iis quas sacræ hodiè Scholæ produnt hypothefibus. Neq̄ve enim inquit Tertullianus, credo, tam inconsideratum futurum fuisse Aristotelem ut negaverit principia quædam humanæ menti esse indita, si pauca de Imagine DEI ab aliquo revelante accepisset. Et miramur nos, quod etiam non nihil ex ratione didicerit. Nisi enim in animâ essent, ejusmodi communes notiones, non possemus nos mutuò intelligere, & nunquam

D 2

Disci-

t) Apud Hobbesum in *Leviathane*, & Robert. Scharrockium de officiis. p. m. 348. *u)* Psal. 14. *x)* ceu Emphasin verbî κατέχειν explicat Meisnerus. p. 132. *y)* Rom. 1.

Discipulus aliquid disceret à Præceptore. Sed optimè declarari hoc potest ex Doctrinâ de Imagine DEI & peccatô originariô, sicut enim illa se habent ita comparatum est cum nostrô Jure. Sed illa erant suntque habitus connatus E. & nostrum Jus tales est. 2) At quamvis habitus ille κατ' ἐξοχήν talis, imago DEI nempè, mutata sit, id quod propositioni nostræ, O. connatum est immutabile, directò adversari videtur; monemus tamen, nos eam ita accipere, quatenus non Injuria est in DEI Creatoris sanctam Essentiam. Verū est Deū ab homine concursu extraordinario potuisse auferre id, quod Eius naturam valdè perficiebat, postquam homo ipse se indignū reddidit hâc perfectione. Neque enim immediatè ex Essentia hominis fluebat, ut DEO similis esset, quippe poterat homo creari, bonitatem in tam eximiô gradu non habens. Ast talis, qualem Intellectus Divinus poscebat, rationalis nempè & per consequens socialis nullô modò esse poterat, nisi connatò hòc Jure obligaretur, quod necessarium consequens appropriatæ sibi à Deò naturæ fuit, adeoque S. naturæ humanæ Architectus ex necessitate suæ Sanctæ Essentiæ superesse id ipsum jus sit homini. Deleri itaque non potest, sine mutatione ipsius humanæ Essentiæ.

XXXIII.

Dicis, quamvis non ex totò desinat, ex parte tamen ita deficere potest ut v.gr. unus autem alter ejus Articulus abrogetur, a) vel ex utili fiat noxium, ex rationabili irrationale, v.gr. depositum reddendum est, nec tamen gladius depositus furioso reddendus. Item: fortassis interpretatio hîc locum obtinet, quæ in Jure κατ' ἰκνεί-
μεται b) appellatur. Nulla enim est regula quæ non patiatur exceptionem. Sed R. cum Grotiô, omnes addendas esse circumstantias rei udhærentes (quæ in aliis legibus limitationes vocantur) quibus omnibus positis lex naturalis obligat. Quæ omnes conditiones si exprimantur statim orietur in homine obligatio; sin demantur, non quidem mutabitur aliquid quod Juris Nat. sit, sed declarabitur nunquam id Juris N. fuisse? Porro, ἰκνείμεται tantum obtinere dicimus, ubi Jus nimis universale, adeoque justo rigorosius est, ut ob

2) vid. B. Meisner. p. 173. Maxim. Rever. Dn. Alberti P. 1. Comp. p. 105.

a) Ita sentit Caramuel L. 2. Disp. 4. p. 273. b) quæ quomodo à Dispensatione differat vid. ap. Dn. Puffend. L. 1. c. 6. p. 100.

ut ob id in quibusdam casibus planè videatur deficere, quare novam interpretationem adicere necesse habeat legislator. c) J.Nat. verò ita se non habet, illud est ipsa Æquitas, nec opus eidem est Interpretatione, n. obligat, cum concursus factus sit requisitorum ad hunc actum. ex debitò pertinentium.

XXXIV.

Accedit, quod unum & idem sit apud Reges pariter & eos qui de fece plebis sunt. d)

XXXV.

Perspicuum inde simul evadit, quâ ratione etiam ad extra immutabile maneat nostrum Jus. Necesse enim foret ut vel ab homine vel à Deo mutaretur. Afferunt, aliqui (quos vocat Caramuel Autores celeberrimos,) Juris quosdam divini Articulos humanâ Autoritate aliquando abrogari, & si nondum abrogati sint (quod secunda eorum Classis statuit) abrogari posse. Ita de Panormitanò & Angelo recenset Lobcovvitz, illos hanc Autoritatem Pontifici R. adseribere. Contrà refert idem, ferè omnes Theologos & doctiores Juridicos docere, Decalogum in nullò Præceptò imminui autem abrogari posse dispensatione, revocatione, aut derogatione humanâ. Tuemur nos posteriorem sententiam. Quod enim infinitâ Autoritate sancitur, finitâ non potest tolli. e) Objicit tamen Caramuel, Deum posse delegare autoritatem præcipiendi ea omnia, quæ ipse potest præcipere. Item: posse delegare autoritatem dispensandi, immutandi, alterandi illos omnes Decalogi Articulos, quos ipse potest alterare, immutare & dispensare. Posse itidem concedere subdelegabi'em autoritatem, quia potuerit illam delegare non solùm Petro, sed etiam ab ipsò nominandis. Illi autem haberent autoritatem à Deo immediatè hypotheticè; h. e. ex suppositione, quod nominarentur à Deo. Sed Resp. Ne quidem à Deo posse immutari. Neque enim efficere potest, ut quod intrinsecâ ratione malum est, tale non sit. f) Nec hâc ratione quicquam decedit, divinæ Libertati autem Omnipotentix, ceu ex superiùs dictis patet.

D 3

Ideo-

c) *Exempla vid. apud Gvil. Grotium de P. J. N. cap. 3. §. 11. pag. 47.*

d) *vide supra de Subjectò J. N. e) vid. Joh. Broun Scoto-Britannum L. 1. c. 6. p. 79. f) H. Grotius L. 1. c. 1. §. 10. n. 5. It. Gvil. Grot. l. c.*

Ideoq̄ve Caramuel cum suis asseclis g) nimum fallitur. Consequenter multò minus hanc Potestatem alteri delegare potest. Ad eoque nec subdelegabilitas hic obtinet, quia apud nos *κενός* adhuc est, an quidam dentur à Petrò denominandi, item, an Petrus habuerit illà auctoritatem; quæ omnia corruunt subrutò ipsius fundamentò. Equidem Dn. Mevius ap. Dn. Osiandrum h) putat nullum Jus suprà Deum esse erectum ut aliquando et malò bonum efficere non possit. Quæ sententia cum Reformatorum, i) videtur coincidere, qui ne in libertatem Dei nimis injurii esse velle videantur, ipsum, actiones ne ab homine quidem expectandas committere, at sine peccatò posse somniant, quia supra se legem non haberet in quam delinqueret. Sed resp. Deum intra se legem habere licet non extra se. Sibi ipsi enim Lex est, h. e. quosdam agendi modos perfectissimè suæ Naturæ congruentes necessariò præcipit. Contra suam verò sanctissimam naturam, ne tantillum quidem, quod etiam nos beneficiò hujus Juris id nobis dictantis pro malò habemus (secundum enim illud Deus judicari sibi nobis patitur, observante ex Scripturis H. Grotiò k) agere desideret.

XXXVI.

Instat tamen Caramuel: l) In iis legibus posse Deum dispensare putans quas potuit non ferre. Sed omnes leges potuit Deus non ferre. E. in omnibus potest dispensare. Vocatq̄ve in suas partes Occamum, qui Deum abrogare omnia Decalogi præcepta posse putat; Scotum, qui paulò modestius loquitur, Decalogum in duas Tabulas distingvens, quarum prima amorem Dei, secunda proximi indicit, prima duo præcepta indispensabilia, reliqua nihil continere quod necessarium non sit & aliter disponi non possit censens. Ut taceam reliquos, in magnà copiâ citatos. Hæc sententia foetus est illius hypotheseos, omnia saltem bona esse, quia præcepta. Sed quàm ineptè hi omnes sentiant, imò quàm impiè, patere potest ex fundamentis nostris superius jactis.

XXXVII.

g) *vid. Szydlovium in Vind. Quest. diffic. c. 8.* h) *Theol. mor. c. 11. §. 7.* i) *Zwinglius T. 1. Oper. de Provid. c. 6. f. 364. Numen ipsum Autor est ejus quod nobis est Injustitia Calvin. L. 1. Instit. c. 18. §. 2. Pejora habet Martyr ad c. 1. Epist. ad Rom.* k) *L. 1. c. 1. §. 10. n. 5.* l) *Disp. 4. §. 6. L. 2. d. L. m.*

XXXVII.

Quia tamen aliqua prætendunt Exempla ex Scripturis S. petita, quæ dispensationem Dei circa ea quæ Juris Nat. sunt, præferrant, audiemus illâ. Supponimus autem cum Swarezio *m)* contra Caramuelem *n)* additionem aliarum legum positivarum neque abrogationem neque dispensationem efficere, quia priores integræ manent: item, deletionem illam propriâ culpâ in Adamo contractam huc non spectare. (Perdidimus enim hæc ratione notitiam legum insignem, non obediendi necessitatem, & instar decoctorum alieni æris, debitores hodiernum manemus.) Remanet igitur spontanea legem hanc sancientis remissio atque abrogatio. Et hanc ut probent sequentia adversarii excogitarunt exempla. Primam quidem Tabulâ prætermittunt, aliqui contra secundâ verò dispensasse Deum dicunt, quando jussit ut Abraham Filium occiderit suum? *o)* Item ut Hofeas duceret mulierem fornicariam: quando porro Patrum toleravit Polygamiâur simultaneam, quæ tamen transgressionem, perfidam, prævaricationemque Malachias *p)* appellat: Item conjugia Fratrum & Sororum, concubinatum Samsonis Nazaraï, furtum Israelitarum, imò mendacium Samuelis, crudelem Saulis manum timentis, se ad Bethlehimitas, ut immolaret, venire dicentis, quod tamen DEI scopus non erat, quin potius ad ungendum novum Regem eò descendebat. Quid quod DEI Vicarius Pontifex Divinas in scrinio pectoris portans revelationes, ex plenâ sibi à Deo commissâ potentiâ non solum circa Polygamos & dimissiones ductarum uxorum, sed etiam concubitus & scortationes clericales, dispenset, quod fieri ejus sanctitas non pateretur, nisi ex speciali indultu DEI ad id agendum induceretur. Neque solum ille, sed etiam profani homines, qui communitatem primævam in possessiones proprias mutarunt. Demùm, quod vix centesimus id agat, quod J.N. dicitur. Jam verò nisi mutabile esset, actus ipsi adversos nemo posset committere, quia obligatio obstat, quæ frænum est & vinculum libertati nostræ injectum, ceu Moralistæ eam vocant.

XXXVIII.

m) L. 2. de L. c. 15. n. 1. *n)* disp. 4. p. 273. *o)* Gen. 22. v. 2. *p)* c. 2.

Sed Num. i. in Genere: Non potuit, DEUS nec voluit unquam mutare J. N. quod toties probando iteravimus, E. neque id fecit. Qui contrarium sentiunt removeant prius nostram hypothefin, probentque id quod nobis adversatur, quod nondum solide probatum vidimus, & cedemus. 2. In specie cum Grotio dicimus; fit interdum ut in his actibus, de quibus J. N. aliquid constituit Imago quaedam mutationis fallat incautos, cum revera non J, N. mutetur, quod immutabile est, sed res, de qua Jur. Nat. constituit, quaeque mutationem recipit. Applicemus hoc ad Exempla. Atque ad primum de factio Abrahami respondent aliqui Theologorum, simulatioem DEI fuisse tentatoriam, in bonum finem directam, quod ex Biblicis Locis quibusdam q) probant. Aliqui, nimirum B. Dannhavverus in Hodosophia, nec non Magnif. Dn. Scherzerus docet, Deum saltim actus preparatorios, non ipsam interuentionem Isaac praecipisse. Mandavit enim ut Abraham Filium immolaret, quod generale est, & vel exhibitione prompta, atque ex vera fide orta absolvi poterat. Et quamvis Abraham maculationem ipsam subintellegerat ad finem tu. perducere non debebat, sicut benignus Magistratus in usu habet, ut dicta sententia personam maleficam ad locum executioni destinatum deducere jubens, in sciam tamen eadem poenam inhibet. Positio vero DEUM, etiam occisionem praecipisse, tantum tamen abest ut hic actus contra secundam tabulam peccasset, ut potius conformis primae fuisset, quia DEUS non simpliciter, sed ut sacrificium sibi gratiosissimum occidi iusserat Isaacum. r) Prophetam quod attinet, eum non iussit Deus scortari, neque hoc connubio meretricis impuritatem probavit, sed quia scortum jam erat, ut a Prophetam duceretur, volebat DEUS, ad aperiendum Israëlitis, tam dedecorosum tamque ingratum sibi esse ut Ecclesiam idololatricam pro mystica sua habet sponsam, quam quidem sit Prophetam, viro omnium honestissimo, legitimum matrimonium sibi copulasse fornicariam ex quocumque lupanari protractam.

q) *Genes. 19. & Matth. 15. v. 24. vide B. Glassum Phil. S. l. 5. p. 89.*

r) *Raupius super b. l. & Osiandrum ad Grotium p. 187.*

Etiam. Polygamiam in genere non omnes Moralistarum' contra J. N. esse putant, quorum interest Maxime Rever. *Dn. Alberti, & Dn. Oslander.* Aliàs DEUS circa eam non tam liberè dispensasset. s) Conjugium Fratrum & Sororum non opus habuit dispensatione, quia non fuit Juris N. absolutè talis, sed ex hypothesi, positâ scilicet multiplicatione & abundantia hominum. Factum Samsonis Deus toleravit non approbavit. Pepercit autem ut expectaret ejus poenitentiam. Actus verò Israëlitarum non fuit furtum sed acceptio ejus, quod ipsis à Dominò superiori qui potestatem in vitas, quantum magis in divitias Ægyptiorum habebat, benignè fuit concessum. Samuel Propheta quarentibus Subditis responsionem reddere non necesse habuit, nec mentitus esset, si Sauli Regi id reddidisset responsi, quia nullum in eò Jus violasset, quod peccatis suis erga Dominum longè antea amiserat. Pontifex quod agit, de factò agit, non de Jure, quod aliàs contra Scripturam ipsi esset probandum. In rebus quæ Juris N. sunt DEUS ipse dispensare non potest, sicut supra evictum. In rebus positivis tanquam legislator maximus id præstare potest, non tamen committit hanc potestatem alteri, quia Gloriam suam alteri non daturus est; demonstrat verò Pontifex contrarium. Communionem primævam plerique prorsus negant. Dic enim mihi num Uxores & Filii, item alimenta quæ consumuntur, unò actu, futura fuissent communia? t) Et si tandem fuissent talia, non fuissent Juris N. absolutè, sed ex hypothesi perfectionis, ubi pacificè usi essent eò quod creatum erat ab indulgentissimò hujus Universi Conditore. Hodie verò ubi laboribus assiduis acqvienda sunt ea, quæ ad vitam sustentandam faciunt multi insuper desides & malitiosi reperiuntur, depascerent hi instar fucorum dulce mel curâ apum non parvâ contextum. Denique à transgressione legum voluntariâ ad obligationis deficientiam sive Juris mutationem N. V. C.

E

Et

s) *2. Sam. 12. v. 8. nullibi tamen præcepit, locus enim Deuteron. 24. v. 3. qui in insigni quòdam Scriptò Probationis locò adducitur nihil probat.*

t) *Caramuel Lib. 2. Diss. 5. p. 287.*

Et hæc sunt quæ pro ratione temporis & exigvi Ingenii de
Juris N. immutabilitate proferre licuit. Faxit DEUS immutabilis
ut muneris nostri ad quod benigna nos obligavit Natura memo-
res atqve observantes semper vivamus donec ad immutabilem illam
perfectionem ad quam nostra interea adspirat natura, trans-
feramur; & erit ipsi in æternum Laus Honor
& Gloria.

F I N I S.







Leipzig, Diss., 1680

X 2373073

LM





12434.

40.

1680, 17

20

I. N. J.
DISPUTATIO MORALIS,
DE

JURIS NATURALIS
IMMUTABILITATE,

Quam

Indulgente Amplissimo Philosopho-
rum Ordine,

Publicæ Eruditorum συζητήσεαι
committent

PRÆSES

M. JOH. DAVID Schwertner/
Lipf.

& RESPONDENS

JOHANNES Günther/Gryph. Sil.
Phil. Bacc.

Ad Diem XVIII. August. A. O. R. M. DC. LXXX.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERI.

